



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.**

**Lefelon, Antoine**

**Bruxellis, 1675**

An huic Sacramentalis absolutionis dilationi aliquid officiat locus Matthaei  
c. 18.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9433**

## C A P U T X I X .

*An huic Sacramentalis absolutionis dilationi aliquid officiat locus Matthæi c. 18.*

**M**Ultum adversus hanc Sacramentalis absolutionis dilationem urgeri solet, & movet non paucos, quòd Matth. 18. interroganti Petro quoties peccanti in se fratri dimitteret; *usque septies?* respondet Salvator: *non dico tibi usque septies, sed usque septuagesis septies:* certum hic numerum posuit pro incerto, quasi diceret; semper fratri volo dimitti; ex quo confici volunt Sacerdoti incumbere toties quoties id requirit poenitens, ipsum absolvere.

Verùm debile hoc est argumentum: instruit enim hîc CHRISTUS, uti ex sequenti patet parabola, non confessarios sed omnem hominem, singulis præcipiens, injurias sibi à proximo illatas ex corde dimittere, non solùm internâ offensæ vindictæquè remissione, ad quam semper quisque paratus esse debet, ut erga quoslibet *teneatur in secreto animi* (ut loquitur Augustinus) *patientia cum benevolentia*, sed & externa simul receptione in  
gra-



gratiam, quæ rogantibus fit & necesse est fieri ab his, qui exaudiri volunt dicentes: *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: id est, ait idem Augustinus, *sic dimitte debita nostra rogantibus nobis, sicut & nos dimittimus rogantibus debitori-*

*Enchir. cap.*

*73.*

*bus nostris*: Nunc autem non eâ facilitate licet confessario ad remittendas injurias Deo factas Sacramentalem absolutionem impendere, quâ quisque potest & debet injurias sibi illatas dimittere.

In privatis quippe offensis non semper expectanda est vera cordis conversio: imo nec qualiscumque facti pœnitentia: nam *humilitas est*, ait quidam, *si quando peccaverit in te frater tuus, antequam illum peccasse pœniteat, dimiseris illi*. Hoc tamen confessario imitandum nemo dixerit, qui illum tantummodo solvere potest (uti ex B. Laurentio Justiniano dictum est) quem introrsus per compunctionem sive compunctionis indicium, vivificatum à Deo (hoc est verè conversum) esse deprehenderit, nam & Deus cujus hic iudicium indicat, ut cum Augustino dicam, *non conversis peccata non donat: cum ipsa remissio peccatorum*, ait D. Fulgentius, *non nisi in conversione cordis sortiatur effectum in illis dumtaxat, qui propria voluntatis utentes*

*Bern. vel*

*quisquis est*

*auctor libræ*

*de interi.*

*dom. c. 51.*

*In Psal. 32.*

*conne. 1.*

*L. 1. de re-*

*miss. pecc.*

*cap. 13.*

*arbitrio*



arbitrio divini muneris opitulatione conversi mutata in melius vitam non desistunt ad postulatam remissionem peccatorum currere.

Nihil est ergo quod num. 283. objicit Appendix: an Deus fortè minus misericors est quàm homines, ut non possit vel nolit toties ignoscere? peto an mihi septies per diem dimittenti fratri, Deus non dimittet? negari non potest.

Nempe si verè & ut oportet conversus fueris. Nam qui dixit: *Dimitte & dimittimini: & in qua mensura mensi fueritis, remittetur vobis*, ipse & dicit: *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Ad hoc pro-

*Luc. 13. v. inde Dei Sacerdotem, qui, ut ait Chry-*  
*s. hom. 3. solthomus, peccata in Deum solvendi potesta-*  
*ad pop. l. 3. tem accepit, sive ut idem alibi: cui animæ*  
*de Sacerd. sordes non dico purgatas probare, sed purgare*

*prorsus concessum est.*, oportet attendere, hoc est, an debitè & ut oportet, qui se solvendum offert, pœniteat; cum nisi verè pœnitentis nec peccata solvat, nec sordibus animam purget: ac propterea ut pœnitentes à non pœnitentibus discernat, datae sunt ei claves Regni cœlorum:

*Serm. 96. Sunt enim hæ claves, uti ait Bernardus, pote-*  
*in Cant. stas aperiendi & claudendi, atque inter exclu-*  
*Opus. 5. dendos & admittendos discretio: Sive ut S.*  
*Thomas, Auctoritas discernendi & potestas ju-*  
*dicandi.* §. I.